



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Rvperti Abbatis Monasterii Tuitiensis, ordinis sancti  
Benedicti, Theologi antiqui ac plane clarissimi, in Cantica  
Canticorum de incarnatione Domini commentario[rum],  
libri VII**

**Rupertus <Tuitensis>**

**[Köln], 1527**

**VD16 B 3703**

Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi qui pascitur inter lilia. Pulchra es  
amica mea, suavis & decora sicut Hierusalem, terribilis ut castroru[m]  
acies ordinata. Auerte oculos a me, quia ipsi me ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34445**

# RVPERTI

ABBATIS TVITIENSIS IN  
Cantica canticorum de incarnatione  
dñi commentariorum: Li. VI.

Gen. 4



**A**NTEQVAM fierent emissio-  
nes tuæ paradyfus malorum pu-  
nicorum cum pomorum fructi-  
bus laudabilis eras & pulcherri-  
ma mulierum, & dilecti tui uoce  
laudabaris dicentis: **Q** pulchra  
es amica mea, **q̄** pulchra es, oculi tui columba-  
rum, absq̄ eo **q̄** intrinsecus latet & cætera. **Q**-  
to magis postquam ad uocem eius pulsantis, &  
propter manum eius te tangentis, surrexisti, ut  
aperires ei, & aperuisti pessulum ostij tui, factus  
**q̄** est ille emissionum tuarum paradyfus, uerbis  
atq̄ exemplis tuis complantatur, laudari debui-  
sti ampliori laude pulchritudinis, **q̄** esses pul-  
chra non soli tibi, sed pulchritudinis tuæ facti  
essent principes plurimi. Repetit iterum dilectus  
canticū landationis, & modulos multiplicat pul-  
cherrimæ cantionis in memoriam tui, talib. uer-  
bis te præmittente.

**¶** Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi  
qui pascitur inter lilia. Pulchra es amica  
mea, suavis & decora sicut Hierusalem,  
terribilis ut castrorū acies ordinata. Auet



COMMENTARIO. LIB. VI. Fo. 92

te oculos tuos a me, quia ipsi me auolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. Dentes tui sicut grex ouium, quæ descenderunt de la uacro. Omnes gemellis fetibus, & sterilis non est in eis. Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis. Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea, una est mater suæ, electa genitrici suæ. Viderunt illam filia, & beatissimam prædicauerunt, reginæ & concubinæ laudauerunt eam.

Quæ est ista, quæ progreditur quasi auro ra consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis, ut castrorum acies ordinata.

¶ Ego (inquis) dilecto meo, subauditur pessulum ostij mei aperui, uocis meæ obsequiū præbui, ut audirent, & non nescirent filia Hierusalem, qualis ipse sit: dilecto (inquam) meo, qui patitur inter lilia, id est, qui corda munda, & casta diligit corpora, & dilectus meus, subauditur uicem reddit mihi laudationis ac beatificationis, cantico suauis, ac perfectione cantici ueluti octo chordis. Ipse est enim & psalterium & cythara dei patris, cui pater in Psalmo dicit: Exurge gloria mea, exurge psalterium & cythara. Fiebant

Psalm. 56  
& 107.

M 4



RVP. IN CAN. CANT. CA. VI.

autem antiquitus cytharæ octo chordis, ea lege  
ut octava eadem esset quæ prima, quæ sympho-  
niam maximam musici nominant dyapason.

8. moduli  
huius cāt.

Considerate igitur canticū istud, quomodo cur-  
rit modulis octo bene sonantibus, ita ut sonus oc-  
tavius idem sit qui primus, terribilis ut castro-  
rum acies ordinata. Nam primus modulus est,  
Pulchra es amica mea, suavis & decora, sicut  
Hierusalem, terribilis ut castrorum acies ordi-  
nata. Secundus, auerte oculos tuos a me, quia ipsi  
me auolare fecerunt. Tertius, capilli tui, sicut  
grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.

Quartus, dentes tui sicut grex ouium, quæ ascē-  
derunt de lauachro. Quintus, sicut cortex mali  
punici, sic genæ tuæ absque occultris tuis. Sextus,  
sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinae,  
& Adolescentularum non est numerus, una est  
columba mea, perfecta mea, una est matri suæ  
electa genitrici suæ. Septimus, uiderunt illam fi-  
liae, & beatissimam prædicauerunt, reginæ &  
concubinae laudauerunt eam. Octavius, quæ est  
ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens,  
pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castro-  
rum acies ordinata.

Igitur perfecta cantio maximaque hæc sympho-  
nia dilectionis est, & modulus octavius idem so-  
nat, quod primus, pro eo quod non contenta ego  
propria felicitate, studui chorum filiarum Hie-  
rusalem docere & ordinare, ita ut unus idemque  
cœtus & chorus esset & castrorum acies, chorus  
laudantium dilectum, acies pugnantium contra di-  
abolium propter dilectum. Nunc singula hæc mo-  
dulamina studiosius addiscenda sunt.